

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Passionale sanctorum - Cod. Aug. perg. 32

[S.l.], [9. Jahrh.]

Prologus ex gestis sancit Hilarii Pictauensis episcopi quod est. idus.
ianuarias

[urn:nbn:de:bsz:31-65346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-65346)

**INCIPIT PROLOGUS EX GESTIS
SANCTI HILARII PICTAVENSIS EPISCO
PI. QUOD EST IDUS IANUARIIAS.**

Beatissimi hilarii confratres uita uel operibus non unius sed multorum patrum relatione comperimus in laude domini nostri ihesu christi memoriae traditam & bellatorem christi eorum opusculis contra arrii perfidiam luculentissime fore defloratum. Et multiplicem in eius uerae fidei confessionem texere gestu. Huiusmodi rei beatus hieronimus maximus stipulator emittet. qualiter uel quomodo in sinu armenensi temporibus constantii principis sub tauro praefecto. miles christi dimicauit. exiliumque per tulerit frigiae lustrum quam exulauerit omnibus recte pieque fidei sequacibus notum habetur. **EXIT. PROLOGUS.**

INCIPIT VITA SANCTI HILARII EPISCOPI.
Igitur beatus hilarius pictauorum urbis episcopus regionis aquitaniae oriundus fuit. quae ab oceano britannico octoginta ferme milibus se iungitur. apud gallicanas familias nobilitatis lampade non obscuro. Immo magis praeceteris gratia generositatis ornatus. nitore pectoris addito. quasi lucifer inter caetera astra refulgens processit. Cuius acunabulis tantae sapientiae primitiua lactabatur infantia. ut iam tunc palam possit intellegi christum in sua causa pro obtinenda uictoria necessarium sibi militem propagari. Denique coniugem habens & filiam. triplicem plenitudinem amoris domini uenerabilis uimus eius ex sequebatur. atque informando uitae nitorem. propositum sanctae religionis imbueret. atque diuino nutu sub laici habitu pontificalem gratiam iam possideret. Ita se ipsum propria disciplina cohercebat in conspectu. quasi futuram speciem indicans. ut in reprehensibilis in templo christi praepararetur sacerdos. Nam quod inter mortales ualde uidetur difficile tam cautum esse quis a iudeis uel hereticis cibo suspendat. Adeo uir sanctissimus hostes catholicae religionis abhorruit. ut non dicam conuiuium. sed neque salutatio

fuerit. cum his praeter euntibus commune. sed uita bat eos dauidico suffultus exemplo. Nec cum hereticis mensa participando fieret illi in scandalum. Operfectissimum laicum. cuius imitatores ipsi desiderabant esse sacerdotes. Cui non fuit aliud uiuere. nisi christum cum dilectione timere. & cum timore diligere. quem sequaces currunt ad gloriam. diuertentes ad poenam. Credenti succedunt praemia. recusanti tormenta. qui tamen nunc illos de pio religionis opere commoneans. nunc alios de confessione inaeestimabilis sanctae trinitatis informans. nunc alios uel promissionem regni caelestis inuitans. non cessabat implere uerba ueritatis fructum fidei redundantia seminare. Igitur cognito desco hilario. quo lucerna accensa sub modio ardere non poterat. sed super candelabrum posita sui luminis omnibus per patefecerit. Quippe necessarius ut alienas etiam tenebras luce transfigeret. concordante fauore populi sacri altaris sacerdos electus est. Crescebat denique in eo cotidie opinio famulatrix iustitiae. nec erat eius fama contenta. In circuitu iectas tantum gallias inlustrare. uerum etiam in exteras nationes & regiones impleuit meritorum gratia percurrente. Sicque factum est ut toto orbe beati pontificis gloria militaret. Igitur sub constantio imperatore eusebio & ipatio consulibus. cum heresis arriana uenenata de radice dira contagia pullularet. Tunc uir sanctissimus timore nudus. fidei feruore uestitus. quasi signifer belligerator per medias acies inter hostiles fremitus. inter hereticas procellas. gladium uerbi ingererat. christi caritate securus. nihil de summo formidans. illud solum metuens. quod absit praeeudicio religionis in late ne uiueret. Auulente igitur & cursatio qui praua credulitate eadem di per turbare per tinaciter insistebant. Imperatori per suasum est. ut uirum eruditissimum de quo loquimur. et liberium papam romanum. et diamisium mediolanensium atque eusebium uercellensium pontifices exilio condemnarent. Nullam enim poterant ante insuperabilem beati